DECANI FACVLTATIS MEDICÆ

JO. HADRIANI SLEVOGTII,

ANAT. CHIR. ET BOTAN. P.P.
MED. DVC. PROVINC.

& h. t.

ACADEMIÆ RECTORIS

PRÆLVSIO INAUGURALIS

De

LAPIDE BEZOAR.

JENÆ,
LITTERIS KREBSIANIS.

18.

RPJCB

INter ea, quæ contra morborum vim atque injuriam ſtupendis plane virtutibus armavit natura, lapidem quendam, vulgo *Bezaar* ſive *Bezoar* dictum, commemorari, & ſummis ubique efferri laudibus, nemo forte ignorat. Fugiebat ille, ſi Pancirollum audimus, ſapientum veterum, quos vel Græcorum, vel Latinorum regio tulit, notitiam, imo aliquot retro ſeculis, fatali quadam oblivione ſepeliebatur ejus memoria, donec ſerpente per totam Italiam epidemicæ febris contagio, ſuffragantibus Medicis, ſubito reviviſceret. Ex quo tempore ſummos huic lapidi decretos honores, & immane poſitum pretium, idem ille teſtatur.

Genuinam appellationem eſſe *Bâd-Zeher*, vel *Bâd-Zahar* & *Bâ-Zahar*, item *Pâ-Zabar*, vix aliunde rectius, quam ex Lexicographo Perſa evinci poſſe, docet Deuſingius; quandoquidem nomen *Bâd-Zabar* non niſi apud Perſarum gentes, quibus *Zahar* vel *Zeher* venenum deſignat, *Bâ* vero vel *Bâd*, ſeu *Pâ* vel *Pâd*, haud ſecus ac Græcorum ἀντὶ, in compoſitione adverſitatem & pugnam notat, natum eſſe videatur. Ut proinde *Bâ-zabar*, ſi dictionis originem ſpectes, ſit *antidotum* ſive *antipharmacum*, hoc eſt remedium adverſus venena: cujus quippe acceptionis veſtigia apud Averroëm & Avicennam paſſim occurrunt.

Cæterum hodierno uſu obtinuit, ut audito hoc vocabulo, lapidem quendam concipiamus, ex tunicis ſive cruſtis, quarum aliæ alias, ut in ceparum videre eſt bulbis, ambitu ſuo complectuntur, conflatum, lucidis modo & perpolitis, jam craſſis non nihil & ſcabris, ut fractæ etiam, obſervatore Boodtio, haut infrequenter appareant, & bene olentis herbæ in meditullio latentis conſpectu, originem ſuam, primaque incunabula haud obſcure demonſtrent. Ubi ad figuram reſpicimus, modo ovi, nunc renis aut caſtaneæ ſpeciem mentiri hos lapides, ſæpius in orbem coire, ipſorum oculorum fide teſtatum novimus. Neque ſecus cum magnitudine comparatum eſt. Reperiuntur enim, obſervatore Acoſta, qui dimidiam tantum drachmam, ſunt, qui XII vel XV æquant. Imo Rudolphum II Imperatorem, lapidem *Bezaar* ovi anſerini magnitudine, aut paulò majorem poſſediſſe, Boodtius autor eſt. Colorem etiam varie, ad Polypi inſtar, permutat. Jam cineraceus placet, nunc niger; ſubviridis interdum præfertur ac flavus, plerumque pullus, ſpadiceus, rufus, aut ex viridi nigricans. Cæterum levem eſſe & blandum hunc lapidem, ut ad alabaſtri exemplum radi poſſit, & ad aquam aut lingvam liqueſcat, ex laudato Boodtio conſtat.

Sive autem *orientale* hujus lapidis genus, ſive *occidentale* intueamur, neſcio quæ miracula de natalibus ejus ac viribus paſſim circumferuntur. Licet enim Ægyptiacum *Bezoar mineralem* faciat R. Moſe Maimonides; illorum tamen opinio, qui ortum ejus ab animalis cujusdam corpore repetunt, quod in peculiari receptaculo,

ptaculo, ex carne villoſa, in faſciæ modum compoſito intra ventriculum, ſalubres atque *aromaticas* herbas deponat, unde lapides prodeant, in marſupio iſto ea diſpoſiti ratione, qua nodi, anteriorem tunicæ partem ita occludentes, ut alius alio grandior ſubinde appareat, commune hactenus regnum obtinuit. Infauſtis animalibus tam moleſti creduntur ac graves, quam veſicæ ac renum calculi hominibus eſſe conſueverunt: ut proinde lenta ſubtriſtiaque incedant, donec deponere tandem ſarcinam permittat natura, cujus deinceps virtute miteſcere creditur venenorum ſævitia, & quicquid eſt febrium atque contagiorum, ut cætera prætercam mala, profligari atque extingvi. Cæterum fuerunt jam olim, qui tanquam fabuloſum atque chimericum inſectarentur hunc lapidem, certe omnibus morborum generibus velut panaceam aliquam opponi eundem, quo ab Empiricis atque ſordidis Pharmacevtis tot hominum millibus imponeretur, indigniſſime ferrent.

Sed hæc ulterius perſequi, inſtituti ratio vix permittit. Veniendum enim ad illum, cujus honori hoc quicquid eſt ſcriptionis dicavimus, virum clariſſimum atque eruditiſſimum

JOANNEM DAVIDEM EHRHARDUM

artis noſtræ Candidatum digniſſimum. Natus is eſt Memmingæ Svevorum, die III. Martii, A. R. S. M DC LXXVI.

LXXVI. Patre nobiliſſimo, ampliſſimo excellentiſſimoq; viro, BALTHASARE EHRHARDO, medicinæ Doctore, reipublicæ quondam Auguſtanæ Phyſico, & illuſtris ibidem Collegii medici membro, nunc vero in annum usque XXVIII. Reipublicæ Memmingenſis & quorundam vicinorum S. R. I. ſtatuum Medico meritiſſimo. Matre SVSANNA LAVBERINA Auguſtana, matrona, dum viveret, ornatiſſima. Avum paternum habuit virum admodum reverendum & præclariſſimum, M. JOANNEM EHRHARDVM, reipublicæ quondam Memmingenſis Eccleſiarcham graviſſimum.

A teneris usque ungviculis haud defuerunt, qui per exempla pariter & præcepta, ad quævis virtutum & nobiliſſimarum artium ornamenta NOSTRO præirent. Anno MDC VIIC menſe Majo, Auguſtam profectus Vindelicorum, ut uberiorum cultum capeſſeret, eum præclariſſimorum, qui Annæo Gymnaſio præerant, præceptorum ope, facile conſecutus eſt. Ubi etiam nobiliſſimi atque excellentiſſimi DN. NEIDHARDI, Medicinæ Doctoris, & Mathematici Ducalis Würtembergenſis, νῦν ἐν ἁγίοις, ductu atque auſpicio, rudimenta pharmacevtica, chymica & anatomica, feliciter poſuit. Cæterum moderabatur ejus ſtudia, cujus & convictu uſus eſt, avunculus honoratiſſimus, vir magnificus atque excellentiſſimus, CHRISTOPHORVS JACOBVS LAVBERVS, JCtus conſummatiſſimus, nec non Conſiliarius & Scholarcha graviſſimus.

Anno MDC VIC menſe Novembri, illuſtrem Tubingenſium academiam fauſtis avibus adiit: ubi patronum ſummum ſortitus eſt virum nobiliſſimum, excellen-

cellentisſimum atque experientiſſimum, DN. ELIAM RUDOLPHUM CAMERARIUM, Philoſophiæ & Medicinæ Doctorem, ac Profeſſorem publicum celeberrimum, ſereniſſimæ domus Würtembergenſ. Conſiliarium & Archiatrum graviſſimum, nec non Facultatis ſuæ Seniorem: qui curam ejus commiſit Filio ſuo, viro nobiliſſimo, excellentiſſimo atque experientiſſimo DN. RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO, Theoretices, Phyſ. Matheſ. & Botan. Prof. Publ. cujus *Collegio phyſico experimentali, prælectionibus item privatiſſimis in Circulum phyſiologicum Bohnii*, præterea *inſtitutionali medico, de materia medica*, ut & *formulari, lectionibus* denique *pathologicis publicis*, cum ſingulari attentione interfuit: quam & nobiliſſimi, ampliſſimi atque excellentiſſimi DN. ZELLERI, Medicinæ Doctoris & Profeſſoris meritisſimi *prælectionibus Chirurgicis atque anatomicis*, nec non nobilisſimi pariter atque excellentisſimi DN. D. OSIANDRI, Profeſſoris extraordinarii ſcholis adhibuit. Sub laudatisſimi Camerarii umbone Medicorum cathedram in *diſputationibus cyclicis* ſemel iterumque conſcendit. Transacto biennio, in patriam reducem honoratisſimus parens ad *praxin medicam* atque *operationes chymicas* manuducebat.

Anno M DC IIIC, menſe Majo, Salanam noſtram ingreſſus, nobiliſs. ampliſs. atque excellentiſs. D. D. WEDELII, Medici per totum orbem celebratisſimi, *privata collegia, de materia medica*, nec non *caſuale practicum, de morbis externis*, item *inſtitutionale, & de materia ſimplicium*, non minori ſtudio, quam fructu audivit. Meas

quoque

J-698
S632d

11-05

quoque *anatomicas*, *chirurgicas & botanicas* ſcholas, quas magna alacritate atque conſtantia celebravit, commemorari hic voluit. Nuper admodum, menſe Majo, ſub celeberrimi WEDELII auſpicio *de Ructu* differentem ſolerter publica omnium gratulatio atque applauſus comitabatur.

Confecto ſic tandem ſtudiorum curriculo, dignus utique videbatur, cui ad conſueta Candidatorum examina aditus muniretur. In quibus eum ſe præſtitit, ut craſtina luce, in conſpectum eruditorum ipſum producere, ſub WEDELIANO præſidio *de Tinctura Bezoardica eſſentificata* diſputaturum, haud erubeſcamus. Quam panegyrin ut Patres Academiæ conſcripti, & quicunque arti Medicæ favent, frequenti præſentia ſua cohoneſtent, omnibus modis contendo. P. P. die

28. Sept. A. R. S. M DC IIC,

ſub ſigillo Facultatis.

L.S.